

IULIUS

Die 15 Iulii

In Dedicatione Basilicæ Ssmi Sepulcri D.N.I.C.

(Festum, sed in ipsa Basilica Ssmi Sepulcri : sollemnitas)

Ant. ad introitum

Is 11, 10

In die illa erit radix Iesse, qui stat in signum populorum,
ipsum gentes deprecabuntur: et erit sepulcrum eius gloriosum, alleluia.

Collecta

Dómine Iesu Christe, qui pro nobis mortem subire,
et in sepulcro depósitus, tértia die resúrgere voluísti,
concéde fámulis tuis,
ut qui Ssmi Sepulcri Basilicæ dedicatiónis memóriam recólimus,
resurrectiόνis quoque glóriæ participes esse mereámur.
Qui vivis.

Extra diem dominicam, eligatur una ex sequentibus lectionibus:

LECTIO PRIMA

« Dabit divitem pro morte sua »

Lectio libri Isaíæ prophétæ

53, 2b-9a

Non est species ei neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus et desideravimus eum; despectum, et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus eius et despectus, unde nec reputavimus eum.

Vere languóres nostros ipse tulit et dolóres nostros ipse portávit, et nos putávimus eum quasi leprósum et percússum a Deo et humiliátum. Ipse autem vulnerátus est propter iniquitátes nostras, attrítus est propter scélera nostra, disciplina pacis nostræ super eum, et livóre eius sanáti sumus.

Omnes nos quasi oves errávimus, unusquisque in viam suam declinávit, et pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrum. Oblátus est quia ipse vóluit et non apéruit os suum, sicut ovis ad occisióem ducétur, et quasi agnus coram ton-dénte se obmutéscet et non apériet os suum.

De angústia et de iudício sublátus est. Generatióem eius quis enarrábit? quia abscíssus est de terra vivéntium; propter scelus pópuli mei percússi eum. Et dabit ímpios pro sepultúra et divitem pro morte sua, eo quod iniquitátem non fécerit, neque dolus fúerit in ore eius.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 15, 1-2, 5.9

R̃. Non dabis sanctum tuum vidére corruptiόνem.

- 1 Consérva me, Deus,
quóniam sperávi in te.
Dixi Dómino: «Dóminus meus es tu,
bonum mihi non est sine te». R̃.
- 2 Dóminus, pars hereditátis meæ et cálicis mei:
tu es qui détines sortem meam. R̃.
- 3 Propter hoc lætátum est cor meum,
et exsultavérunt præcórdia mea;
insuper et caro mea requiéscet in spe.

Quoniam non derelínques ánimam meam in inférno,
nec dabis sanctum tuum vidére corruptiόνem. R̃.

LECTIO SECUNDA

«Deus suscitavit eum a mortuis tertia die»

Lectio Actuum Apostolorum

13. 16a. 26-31

In diébus illis:

Surgens Páulus in synagóga et manu siléntium indicens ait: «Viri fratres, filii géneris Abraham et qui in vobis timent Deum, nobis verbum salutis huius missum est. Qui enim habítabant Ierúsalem et príncipes eórum hunc ignorántes et voces Prophetárum, quæ per omne sábbatum legúntur, iudicántes implevérunt, et nullam causam mortis inveniéntes petiérunt a Piláto ut interficerétur; cumque consummássent ómnia quæ de eo scrípta erant, deponéntes eum de ligno posuérunt in monu-ménto. Deus vero suscitávit eum a mórtuis; qui visus est per dies multos his qui simul ascénderant cum eó de Galilaéa in Ierúsalem, qui nunc sunt testes eius ad plebem.»

Verbum Dómini.

ALLELUIA

Ps 83, 2-3

R̃. Alleluia. Ṽ. Quam dilécta tabernácula tua, Dómine vir-tútum: concupíscit et déficit ánimá mea in átria Dómini. R̃. Allelúia.

EVANGELIUM

«Oportet Filium hominis crucifigi et tertia die resurgere.»

✠ Lécio sancti Evángelii secúndum Lucam

24, 1-12

Prima autem sabbatórum, valde dilúculo venérunt mulieres ad monuméntum portántes quæ paráverant arómata. Et inve-

nérunt lápidem revolútum a monuménto, et ingræssæ non invénérunt corpus Dómini Iesu. Et factum est, dum mente hæsitárent de isto, ecce duo viri stetérunt secus illas in veste fulgénti. Cum timérent autem et declinárent vultum in terram, dixerunt ad illas : « Quid quaéritis vivéntem cum mórtuis? Non est hic, sed surréxit; Recordámini quáliter locútus est vobis cum adhuc in Galilaéa esset, dicens « Opórtet Fílium hóminis tradi in manus hóminum peccatórum et crucifígi et die tértia resúrgere ».

Et recórdatæ sunt verbórum eius, et regræssæ a monuménto nuntiavérunt hæc ómnia illis Undecim et céteris ómnibus. Erat autem María Magdaléne et Ioánnas et María Iacóbi; et céteræ cum eis dicébant ad Apóstolos hæc. Et visa sunt ante illos sicut deliraméntum verba ista, et non credébant illis.

Petrus autem surgens cucúrrit ad monúméntum, et procúbens videt lintheámina sola; et rédiit ad sua, mirans quod factum fúerat.

Super oblata

Hóstias et preces súscipe, Dómine, et præsta
ut cum Christo sepúlto mundo moriámur et tibi soli vivámus.
Per Christum.

Praefatio

- ℣. Dóminus vobiscum.
℞. Et cum spiritu tuo.
℣. Sursum corda.
℞. Habémus ad Dóminum.
℣. Gratias agámus Dómino Deo nostro.
℞. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, aéquum et salutáre :
Te quidem, Dómine, omni témpore confitéri,
sed in hac potíssimum die gloriósius prædicáre,
cum Pascha nostrum immolátus est Christus.

Ipse enim verus est Agnus
qui ábstulit peccáta mundi.
Qui mortem nostram moriéndó destrúxit,
et vitam resurgéndo reparávit.
Quaprópter, profúsis gáudiis,
totus in orbe terrárum mundus exsúltat.
Sed et supérnæ virtútes atque angélicæ potestátes
hymnum glóriæ tuæ cóncinunt, sine fine dicéntes :
Sanctus, Sanctus, Sanctus...

Ant. ad communionem

Surréxit Dóminus de sepúlcro, qui pro nobis pepéndit in ligno.
Allelúia.

Post communionem

Deus qui nos sancti Sepúlcri Fílii tui lætári facis honóre :
da nobis, per hæc sancta quæ sumpsimus
ut, ab omni vetustáte purgáti,
in novam transferámur creatúram.
Per Christum.